

UNGARIA

**SUIS CUM
REGIONIBUS,**

CETERISQUE TERRÆ

DOTIBUS.

REGES

ITEM UNGARIÆ

Cum accurata singulorum

**GENEALOGIA
COMPENDIO**

DATI.

STUDIO

R.P. LADISLAI TUROCZI,

è Societate JESU.



TRNAVIÆ

Typis Academicis Soc. Jesu per Fridericum Gall. 1729.

ctæ, sale[m] dant tanto fœnore, ut plura florenorum millia quotannis lucri inferant ærario Regio. Insubterranei hujus specûs parte est Sacellum quoddam de petra salis totum quantum excissum: ubi & aræ, & ipsa subsellia, laqueare item & pavementum, non, nisi sal est. Hinc & fossilem habere possent operæ sale[m], verùm quia plus emolumentum de aqua, id negligunt. Fons alter Beregiensi in Comitatu, ad eam partem, quæ Ruthenis colitur, ita falsus est; ut eo & farinam pro coquendis panibus subigant, & fercula condiant, quin alium adhibeant sale[m].

Lapidifera.

Nec illud omittendum, quòd in Scepusiensi plaga aquæ scaturiant, quæ ubi à natali solo paululum progrediuntur, in lapides abeant. Atque istiuscemodi succrescentium de undis lapidum cumulos videre est ad ædem S. Martini propius Arcem Scepusiensem. Idem fit & ad vicum D. Andreæ; & alio in loco, ubi si lignum aquæ immerferis, lapide vestitur. Ad Arcem etiam Fülekensem caverna est; in qua destillantes aquæ in candidum abeunt lapidem, idoneique sunt, quibus pictores utantur.

192.
Lacus.

Binos habet Ungaria Lacus, majores præ ceteris, & famâ vulgatiores: alter nominatur Fertõ, veteribus Pejso, aut Pello, Germanis Neisidl. Extenditur in longum ad quattuor milliaria, in latum ad duo. Ferunt superioribus proximè annis concussam vehementiori motu aquam, plurimos in littora eiecisse pisces; atq; ab eo ipso tempore vasto in gurgite rari nantes. Alter Balaton dicitur, longior multùm, sed angustior Fertõne. Alit pisces harum partium optimos. Frequentibus circum undique & Oppidis habitatur & pagis. Complectitur peninsulam, in cujus rupe Abbatia stat Tihanyiensis, despicitque Oppidum, vineas præterea, agros, prata, & silvas, quæ terra illa includit. Occurrunt passim & stagna majora, & lacus alij Carpaticos per montes sparsi; sed quoniam lu-